



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret  
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De  
Westphalia & Saxonia Inferiori**

**Hamelmann, Hermann**

**Lemgoviae, 1711**

**VD18 11397225**

6. Ejusdem Oratio in obitum Rudolphi Langii, Nobilis Westfali, Canonici  
Monasteriensis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

ORATIO,  
DE  
RODOLPHO LANGIO,  
VIRO NOBILI,

*Canonico Monasteriensis primarii Collegii Seniore  
& Praeposito veteris Collegii ibidem,*

Primò per Germaniam Poëta & re-  
stauratore Latinæ linguæ in Westphalia,

Autore

HERMANNO HAMELMANNO;  
S. Theologiæ Licent. & Superattendente in Comitatu  
Oldenburgico.


---

LEMGOVIÆ,

Excudebat Bartholomæus Schlottenius, M D LXXX.

ILLU-





ILLUSTRI, INCLYTO & GENOROSO HEROI  
ac DOMINO,

Domino PHILIPPO,  
COMITI de LIPPIA, in Spiegelberg & Py-  
mont / &c.

SUO DOMINO CLEMENTISSIMO.

**F**orsan mirabitur V. Celsi Inclyte & Generose Comes, cur hanc orationem de viro Nobili RODOLPHO LANGIO, cujus fuit excellens eruditio & virtus, nato in Episcopatu Monasteriensi, in Pago Everswinckel & in summo Collegio urbis Monasteriensis Canonico seniore, & in vicino loco Proposito, V. Celsi. inscribam, sed mirari desinat. Quandoquidem enim cum superstitiosa Pontificiorum plebe (quorum pauci ad salutem cum suis Episcopis pervenire creduntur) nihil mihi rei sit: nihil dubium est, quin Langiorum familia se ubique in Westphalia & in vicinia Westphalia extendat, ut existimem hujus viri gloriam ad omnium Nobilium, Nomen Langiorum habentium in diversis locis estimationem & dignitatem aut augmentum generis antiqui redundare, & sit filio DEI gratia, quod plurimi adhuc etiam in Westphalia vicinia, imo in vestrarum ditionum contiguis locis & terminis Nobiles viri sunt, literis & pietate non leviter vel tenuiter tincti: talem novi magnificentum & amplissimum virum, D. HENRICUM à Salderen / Ducalem Consiliarium & Praefectum vel Satrapam arcis Löwenstein / maximum studiorum patronum, de studiis & Ecclesiis optime meritum; Item praesidentem in Comitatu Schoonenburgico, lectissimum virum, judicio & acumine excellentem Doct. JOACHIMUM à Staffhorst / &c. Tales etiam habet in sua familia V. Celsi. Illust. Domine, vestra Aula Praefectus Dominus NICOLAUS WILHELMUS à Wangen / vir nobilitate insigni, gravitate, virtute & auctoritate excellens est, qui in literis est tinctus; Ita quoque in Aula Brunsvicensi cum apud Illustrissimum Ducem HENRICUM JUNIOREM, tum apud ejus viduam Nobilissimam & ex Regia Stirpe Polonia ortam, Dominam SOPHIAM, praecipuas dignitates gessit: Deinde accedit ipsi proximus V. Celsi. Consiliarius doctrina & multarum rerum experientia praecipuus CHRISTOPHERUS à Donop / nobilis viri Christopheri Senioris filius. Interim ut



constet, cur hanc Orationem ad T. Cels. mittam? notum est, fuisse olim in vestra materna familia Illustri & veteri ante annos centum & viginti, nomine MAURITIUM, Comitem in Spiegelberg & Pyrmont/ cuius in hac & in sequenti Oratione fit honorifica mentio, qui cum fuisset socius studiorum Rodolphi Agricola & hujus Rodolphi Langii, summo studio elaboravit, ut una cum Agricola & Langio latina lingua puritatem & pristinum nitorem restitueret. Hic fuit Embricae Praepositus & Canonicus Metropolitanus Colonia, sicut & ejus frater erat quoque ibidem Canonicus nomine Johannes. Sic enim de utroque scribit Rodolphus Agricola:

Ecce Spiegelbergi Comes ordine clausus avorum,  
Mauritius, pollens moribus, ore, fide,  
Embria Praeposito, quo leta Colonia fratre  
Templo Petre tuo sacra colente fuit.  
Condidit hic corpus studiis senioque solutum,  
Laus, decus ingenii, gloria, fama manent.

Item de hoc Mauritio Comite loquitur ad Musas Rudolphus ille sic:

Ille prius vates & toto pectore vester,  
Mauritius, cultor, vester alumnus obit.  
Atque tot annorum studio curaque paratus,  
Ingenii torrens aureus ille perit.  
Spirat & ingenii laus sudatique labores,  
Vis istud doceam me ratione loqui?  
En age, sume manus, quod condidit & lege carmen, &c.

Cum igitur ipse Comes MAURITIUS & doctum scripserit carmen, & magna eruditionis Heros fuerit, volui etiam V. Cels. eam, quam de ejus socio in studiis contexui orationem, dedicare, quia cum istius Comitis conatus, studium & labores in ea, sicut & in sequenti recensentur, volui quoque V. Cels. in hac Juvenili aetate, mea hac dedicatione excitare & ab exemplo domestico tanti & tam docti Herois monere, ut & ipsa, sicut incepit, pergat literas & literatores amare & promovere, & rei literaria suum patrociniū prestare.

Est etiam alia causa nostra dedicationis, quod in V. Cels. Comitatu Lippiaco ad annos 14. vixerim, & V. Cels. parenti, Domino HERMANNO SIMONTI, Inclito Comiti, & ejus fratri Domino BERNHARDO, Comiti



*Illustri, Heroibus sancta memoria, inserui, constitutus cum aliis Visitatoribus Ecclesiarum ante annos 25. Ideo ego me in hoc meo senio humiliter commendando V. Cels. vestra, & oro, ut hanc nostram voluntatem, quam spero gratam fore vestro Cancellario, viro Magnifico & eximio Domino M. FUSTO & Schiedewind/ studiorum Patre, boni consulat & clementer suscipiat, & me suum clientem, suo clementi patrocinio complectatur. Pergat etiam V. Cels. Generosa & pia vestra Mater, Domina URSULA, nata Comitissa in Berg & Pyrmont/ Domina mea gratiosa, curam piorum & pauperum Ecclesiarum habet semper, rationem habere studiosorum & piorum ministrorum Christi & egenorum.*

*Postremo me ad hanc dedicationem compulit meus summus Patronus, vir amplissimus, consultissimus, pietate, virtute ac doctrina clarissimus Dominus D. J. V. GEDEON EGLINGIUS, Episcopatus Bremensis Cancellarius dignissimus, qui mihi mirifice V. Cels. Comitatem, benignitatem & humanitatem aliasque virtutes commendavit, & certo affirmavit, se non dubitare, quin hoc scriptum sit V. Cels. futurum gratissimum. Hac ratione hoc ad eum mitto, & oro eandem, ut grato animo accipiat. Christo sit V. Cels. cum locupletate matre Matrona & Domina Comitissa verè sancta, commendata.*

*Datum Oldenburgi 30 Augusti, anno à nato Christo 1780.*

V. Cels. observans & reverenter colens

**HERMANNUS HAMELMANNUS,**  
Licentiat, & hoc tempore in his locis  
Ecclesiarum Superattendens.





## ORATIO

DE

RODOLPHO LANGIO,

*Canonico & Præposito in Urbe Monasteriensi,*Primo per Germaniam Poëta & restauratore Latinæ  
linguæ in Westphalia.

**E**tsi sciam duas esse Nobilissimorum Langiorum familias, quarum una in insignibus forcipes, altera aliquot speras quadratas, quales in fenestris vitreis exprimuntur, gerunt: Tamen fuere ex hac utraque Langiorum familia optimi quique viri, qui aut in ditione Monasteriensi aut Osnaburgensi, aut Mindensi, vel in Comitatu Schwenbergico, vel Ravensbergico sedes habuere & adhuc habent. Cum hic noster RODOLPHUS LANGIUS floreret ut *Canonicus & Senior in Cathedrali, & in collegio veteris templi ut præpositus in urbe Monasteriensi, erat Osnaburgi in Cathedrali templo Canonicus & Scholasticus* ejusdem nominis Rodolphus Langius, qui moritur anno 1511. Est quoque in eadem urbe *Xenodochium ab Engelberto à Langen* quondam institutum, in quo claudi, debiles, senes & pauperes viri aluntur. Et ego quatuor novi *Herbordos de Langen / Unum equestris ordinis Capitaneum & duos Ecclesiasticos homines, unum Brema Metropolitanum Canonicum & Thesaurarium, alterum Seniore, Canonicum & Cantorem in Collegio Osnaburgensi ad S. Joannem, & unum Colonia studiosum, item quendam Asschium de Langen / Satrapam*: Ideo nomina inde à multis annis usitata in ea familia fuere, ut aut Hermanni, aut Rodolphi, aut Herbordi, aut Engelberti, alii etiam Dietherici vel Eberhardi, aut Joannes sint plerumque dicti. Ex utra familia sit hic noster Rodolphus Langius oriundus? de eo non anxie disputabo; interim ejus gloriam censeo ad utramque familiam redundare. Pater nostri RODOLPHI LANGII dictus est *Herbordus, cujus frater erat Hermannus à Langen / primo Canonicus, deinde Scholasticus, & tandem Decanus in Cathedrali Ecclesia Monasteriensi, is cum videt Nepotem ex fratre Rodolphum hunc, quem pater ablegaverat Daventriam, ubi egregium fecerat in studiis progressum, in tam brevi temporis spatio tantum eruditionis hausisse, obstupuit quidem*



ad initia solidæ eruditionis in nepote, & illico procurat, ut fiat quoque *Canonicus in Cathedrali Ecclesia Monasteriensi*, deinde eum in *Italiam* ablegavit studiorum causa. Ibi noster Rodolphus audivit *Laurentium Vallam, Franciscum Philelphum, Maphæum Vegium, Leonardum Arctinum, Nicolaum Vallam, Georgium Trapezontium & Theodorum Gazæ* quando ageret Pontificem Romæ *Nicolaus quintus*, magnus doctorum fautor. Habuit in *Italia studiorum Collegam MAURITIUM, Comitem Spiegelbergicum* & uterque prædictorum suorum præceptorum opera ad lectionem *Plauti, Terentii, Ciceronis, Caesaris, Livii, Sallustii, Julii, Taciti, Seneca, Gellii, Quintiliani, Plinii, Tertulliani, Cypriani, Lactantii, Hieronymi & Augustini*; Item ad poemata *Ennii, Statii, Lucretii, Vergilii, Horatii, Ovidii, Lucani, Catulli, Tibulli, Propertii, Claudiani, Persii, Juvenalis, Prudentii, Sedulii, Juvenici, Prosperi, Paulini, Arati, Fortunati, Boëtii, &c.* invitatur & pertrahitur: & sicut de nostro dicemus Rodolpho postea, ita quoque egregie profecit in *Italia MAURITIUS, Comes Spiegelbergicus*, cujus rei testem voco *Rodolphum Agricolam*, qui in epistola Epicedio sic scribit:

Inde vices studiis, lucis tribuebat & umbræ,  
 Non sterilem quenquam passus abire diem.  
 Scriptaque jam veterum tractabat clara virorum,  
 Quos vetat ingeniumque eloquiumque mori.  
 Libera jam numeris, docta jam lege revincta,  
 Post quoque venturis verba legenda dabat;  
 Ne suprema quidem lux hunc deprendit inertem.

Et mox:

Qui claras annis hausit juvenilibus artes,  
 Musarum cupido pectore sacra colens.  
 Quicquid & est studii quod Musas auget & ornat,  
 Moribus & mentem quod redimire queat.

Cum vero ex *Italia* rediret *Langius cum Comite Spiegelbergico*, educat iste *Coloniæ*, ubi *Canonicus* agebat, *HERMANNUM DE NOVA AQUA* *Comitem*, qui primo *Scholasticus* & postea *Præpositus Metropolitana* creabatur & erat *Senioris Wilhelmi Comitis Neuwenarii filius*, & junior *Wilhelmi Comitis* quoque in *Morsæ* frater, & hic *Præpositus Coloniensis Comes de Neuwenar Hermannus*, promovit Romæ & in *Germania* *Johannis Reuchlini, dicti Capnionis*, causam, ut erat homo doctissimus, atque *Coloniæ* fovit *Domi HERMANNUM BUSCHIUM* & quicquid in



eruditionis habebat *Hermannus Comes de nova Aquila*, hoc totum suo cognato *Mauritio Speigelbergico* acceptum referebat.

LANGIUS autem cum Monasterium rediret & ibi sedem figeret, se totum Musis & pietati consecravit, & nunquam passus est sibi tempus dilabi, quin totum hoc studiis, meditationibus lectionique impenderit: In eo vero totus fuit, ut exclusa barbarie possit per *Westphaliam* & in vicinis locis restitui puritas latinæ linguæ. Habebat domi splendidam & optimis auctoribus refertam *Bibliothecam*, quam ipse ex Italia adportaverat secum, & singulis annis inde transferri curabat, & multis literis ad *Alexandrum Hegium*, tunc gubernacula *Schola Daventriensis* (cum ejus olim condiscipulus *Daventriæ* fuerat, & esset ipsi popularis natione *Monasteriensis*, propè arcem & oppidum *Hörstmar* ex pago *Heck* natus) tenentem datis, eum instruit & hortatur, ut melius solito erudiret juventutem (misit eidem libros politiorum auctorum in Italia excusos) & ad lectionem optimorum auctorum invitaret *Hegius* auditores: Idem præstitit in *Antonio Libero, Susatensi*, qui ut olim quoque *Daventriæ* fuerat *Langii* condiscipulus, ita tunc agebat *Amstelrodami*, *Campis* & *Alcmarie*, & ex *Langii* adhortatione studia in suis Scholis, ut etiam propterea infensissimos hostes hoc nomine haberet barbaros illos *Philosophastros*, qui effecerunt, ut aliquoties loco moveretur, correxit, interim in literis politioribus propagandis & explodenda barbarie permansit constans *Antonius Liber*, nostri *Rodolphi Langii* & *Rodolphi Agricole* literis & monitis corroboratus, ut erat ingeniosus & doctus. Cum vero meditari, studere, philosophari & disputare de emendanda usitata illa latini sermonis forma inciperet *Langius*, & ita quidem, ut nemo auderet ei resistere, en multi cum consulunt, quò filios potissimum ad studia ablegent, ibi ut ipse *Hermannum Buschium* (quem ejus patruus *Decanus Hermannus Langius* de fonte susceperat) equestris ordinis adolescentem domi suæ educatum, miserat in *Scholam Hegii*, ita multis auctor fuit, ut suos filios in ejusdem *Alexandri Hegii* *Scholam* ablegarent. Sic ex urbe *Monasteriensi* ablegati sunt *Daventriam* de sententia *Langii* nostri, *Joannes Aelius Senior*, *Bernhardus Tegederus*, *Joannes Rotgerus*, *Joannes Volsius*, *Henricus Morlagius*, *Bernhardus Mommius*, *Joannes Dobius*, *Joannes Hagemannus*, *Joannes Modersonius*, *Joannes Venroth*, *Joannes Grovius*, & alii, ut *Ludolphus Bavincus* & *Antonius Tunicus*; Item ex ditione *Monasteriensi* *Timannus Camenerus*, *Guerdensis*, *Joannes Alexander*, *Meppensis*, & multi alii mitterentur in *Scholam*



Hegii, ubi tunc quoque erudiebantur *Erasmus Roterodamus*, *Joannes Murrnellius*, *Hermannus Torrentinus*, *Petrus Gymnicus*, *Aquensis*, *Otto Beckmannus*, *Warpurgensis*, *Conradus Goclenius*, *Paderbornensis*, *Jacobus Montanus*, *Spirensis*, *Joannes Casarius*, *Juliacensis*, *Ludolphus Heringius*, *Joannes & Servatius Adicolti*, fratres *Colonienſes*, & *Bartholomaeus Colontensis* & *Jacobus Faber*, *Daventriensis*, *Joannes Peringius*, *Burricensis*, *Arnoldus Weſaliensis*, *Joannes Matthaeus*, *Friſſemius*, *Gerhardus Liſtrius* & plures, qui omnes ante annos ſexaginta aut editis libris cœruerunt, vel in Scholis prælegendo floruerunt, aut ab aliis celebrati ſunt in publicis ſcriptis. Tam fuit tunc celebris *Alexandri Hegii Schola in urbe Daventriensi*? Ut autem ad LANGIUM noſtrum revertar; Deſcripſit tunc temporis Monafterii *Rodolphus Langius* ex *Joſepho & Aegypſo* obſidionem & expugnationem atque everſionem urbis *Hieroſolimitanae* & gentis *Judaicae* à *Tito* factam, carmine *Heroico*, ad imitationem veterum poëtarum, ut *Vergilii*, *Statii*, *Lucani*, quod ſcriptum prodiit primo *Moguntiae* anno Domini 1471. &c. curante editionem *Rodolphus Agricola*, quod carmen tunc cum admiratione in *Germania* à multis legebatur, & tunc *Rodolphus Agricola* cenſuit hunc primum *Germaniae Poëtam*. Illud poëma inſcripſit *Rodolphus Langius* patruo ſuo *Hermanno Langio*, Decano *Cathedralis Eccleſiae Monafterienſis*, libris duobus comprehenſum: Item anno Domini 1476. poſtquam *Carolus*, Dux *Burgundiae & Brabantiae*, obſediſſet urbem *Norveſum* vel *Nuſſiam*, & eam ſolveret *Fredericus tertius*, *Caſar*, *Maximiliani primi pater*, mox *Langius* *Heroicum* carmen de obſidione & ſolutione conſcripſit, & *Heidelbergae* divulgavit, quod etiam in eorum Principum aulis legebatur, qui in caſtris *Frederici tertii Imperatoris* erant: deinde de *Paulo Apoſtolo*, de *Maria virgine* & ejus triplici *Pſalterio* & aliis aliquot *Epigrammata* *Monafterii* edidit.

Interea cum *Episcopus Monafterienſis*, & *adminiſtrator Archiepiſcopatus Brementis*, *Henricus*, *Schwartzburgicus Comes*, & ejus *Capitulum Cathedralis* haberent *Roma* negotium exequendum, illud petitiendum commendabant *Rodolpho Langio*, qui hoc latinis verbis tanta dexteritate apud *Papam Sixtum quartum*, expediſſit, ut non ſine admiratione de mandato Pontificis reſponſum daret *Platina* gratiſſimum, & obſtupeſceret ad hominis *Weſthali* vel *Germani* promptam & elegantem latine loquendi promptitudinem: ibi interim cum *Platina*, *Nicolao Perotto* converſabatur, & cum doctiſſimis juvenibus tunc literis &



& scriptio in clare scientibus, ut cum *Politano, Sabellico, Ficino, Pico Mirandulano, Hermolao Barbaro, Philippo Beroaldo* & similibus familiaritatem contraxit, & eis tunc *Hermannum Buschium*, quem adduxerat in *Italiam*, commendabat, & ei in Italia versanti sumptus studiorum præstabat.

Reversus ex urbe *Roma*, dum pro voto omnia expediverat, venit *Monasterium* ornatus *Papa Sixti, Laurentii Medicæ, Florentini Ducis*, doctissimi Principis, testimoniis, & ab eo tempore in magno habitus est pretio cum in aula *Monasteriensi*, tum in *Capitulo & Urbe*. Ibi vehementer laborabat in *Capitulo*, & plurimum instabat apud patrum *Hermannum Langium, Philippum de Hörde / Præpositum, Hermannum de Hörde / Seniore, Joannem Valcken / Scholasticum & Henricum Schagen* / atque plures in *Capitulo*, ut ad reformationem studiorum & literarum evocarent ex *Daventria Alexandrum Hegium*, & ei gubernationem *Scholæ Cathedralis* traderent, postquam is esset alumnus *ditionis Monasteriensis*, & multos præclaros discipulos habuisset, ex multis variisque regionibus, qui jam præclare eruditi essent: sed licet reliqui *Domheri & Canonici* consilium *Rodolphi Langii*, qui tunc quoque in *Præpositum veteris templi* electus erat, non improbarent: Tamen cum hoc meditaretur *Langius*, id statim olfecerunt *Sophistæ barbari, ac monachi inepti, vel professores absurdi in Academia Coloniensi*, & id effecerunt, ut sub nomine totius *Universitatis & ejus sigillo* scriberetur ad *Præsulem Conradum de Ritberg / in defuncti Schwartzburgici Comitis Henrici* locum electum, & ad *Capitulares Cathedralis*, ne ex *Scholis usitati libri*, ut *Alexandri Grammatici doctrinale, Catholicon, Mammarchæus, Gemma gemmarum* & similes auctores, qui hæcenus per tot annos in usu apud *Scholas* fuerant, ejicerentur. Ibi diu contra eorum ineptas excusationes & subtilia argumenta disputavit *Langius* noster, & ex ipsis *latinae linguæ fontibus* respondit istis blatoribus, & cum parum proficeret, tandem ad *Italicos scriptores* provocavit, isti in responsione pro *Langio* pronunciant, & insulsos istos *Colonienses Professores* damnant, ita tandem, cum *Italitè doctus* esset & *Italorum censuram* *judicio Langii* convenire cognosceret *Episcopus*, permisit *Capitulo Cathedrali*, ut facerent in ea re pro arbitrio. Ibi rursus in *Capitulo* urget institutum suum *Langius*, & obtinet ut *Hegius* ad aperiendam *Scholam* vocetur, sed is se propter ætatem, & quod assumpta jam *Presbyteri dignitate & gradu* se rebus *sacris* conse-

cras-



erasset, excusat & suo loco suadet, vel *Timannum Camenerum*, hominem personatum, vel *Torrentinum*, vel *Volsum*, vel *Joannem Casarium*, aut *Ludolphum Heringium*, vel *Petrum Nehemium* esse vocandum. Paulo ante hæc tempora multos politioris literaturæ studiosos partim à *Rodolpho Agricola*, partim ab *Alexandro Hegio*, nostro *Langio* commendatos, miris modis promoverat, aut nondum promotos adhuc domi alebat. *Petrum Gymnicum*, *Aquensem*, insignem Philosophum *Hegii* & *Agricolæ* discipulum curabat *Canonicum Martinianum* fieri *Langii* sua promotione; *Bernhardus Tegederus* auxilio *Langii* consequere *Canonicatum in Collegio Mauritano*, ubi etiam postea factus est Scholasticus, ita efficit, ut *Joannes Modersonus* in Collegio *Ludgeriano* *Canonicatum* impetraret, & *Henricus Morlagius* in Collegio *Martiniano* *probandam* obtineret, sicut etiam antea ibidem *Canonicum* & *Cantorum* dignitatem in possessionem opera *Langii* acceperat *Joannes Eliam*, quem etiam cum *Bernhardo Averdunco* antea *Episcopo Schwartzburgico* *Henrico*, commendaverat ita, ut hic in aula consiliarium, *Alsius* vero cancellarium ageret, & post *Præsulem Schwartzburgicum* adhuc duorum *Episcoporum*, ut *Conradi Reibergici* & *Erici Ducis Saxonie de Lauenborg* *Cancellarius* esset: *Langius* sua quoque auctoritate ad *Decanum* dignitatem in Collegio *Ludgeriano* exivit *Bernhardum Mommius*, & ut *Dobius* *Jure* consultus in majori *Ecclesia* fieret *Canonicus* & *Joannes Gravins* constitueretur pastor *Jacobinus* & *Gerhardus Gweringius* vicarius majoris fieret *Ecclesiæ*: *Domus* vero sua alebat & fovebat *Ludolphum Heringium*, *Ludolphum Bavincum*, *Petrum Nehemium Drolshingium*, *Theodorum Rotarium*, *Jacobum Montanum*, *Spirenses*, *Joannem Peringium*, *Buricensis*, *Josephum Horlenium*: Cum vero fieret deliberatio in *Capitulo*, quis ex iis, quos suo loco proposuerat *Hegius*, assumendus esset ad gubernacula *Scholæ*, ibi etiam doctrina alios præstantiores censeret, tamen propter personam & gravitatem suam reliquis protulit *Timannum Camenerum*, & is illico gubernator *Scholæ* ordinatur & ei *Collega* datur *Bernhardus Gweringius* ut *Conrector*, deinde ut *lectura* *tertiae Classis* *Joannes Hagemannus*, & *Quartæ* *Joannes Peringius*, *Lodovicus Bavincus* *quintæ Classi* & *Antonius Tuncius* *sextæ Classi* præfigebatur. In nova *Schola* cepit *Gweringius* ex tribus *Satyrarum* principibus auspicio *Langii* nostri selectiora & utiliora carmina, ut *Horatio*, *Juvenali* & *Persio* colligere & explicare, quæ postea cum ejus *Scholiis* anno *Domini 1500.* prodierunt: eodem tempore auxilio



Langii proficitur *Adularium Plauti*, *Joannes Hagemannus* & postea ea scholia, quibus eam Comœdiam explicuit, quoque emisit in lucem. *Joannes Peringius* *selectiores Sententias & Phrasas ex Laurentii Valle* scriptis collegit de judicio Langii nostri, & suis auditoribus proposuit, sicut etiam illa postea edita sunt ab eodem. *Antonius Tunicus* quoque *versus proverbales* collegit ex præscripto Langii, &c. Tandem *Joannes Murmellius*, Ruremundensis Geldrus, institutus in Schola Alexandri Hegii Daventriæ, cum venisset Coloniam, & ibi post sumptum gradum Magisterii, incœpisset legere privatim, atque barbariem sermonis taxare; Idem ei accidit quod doctissimis ante eum viris, ut *Bartholomæo Colonienis*, *Servatio* & *Joanni Adicollis* fratribus accidit, videlicet, ut ex patria & tota universitate ejicerentur. Sic Murmellius, juvenis eruditissimus, ejectus per barbaros Colonia, rectâ ad præceptorem Hegium tendit, & quum ibi parum spei consequeretur, quia in Schola Hegii tunc docebant prædicti tres, *Bartholomæus* & *duo Adicollii*, Colonienfes, & *Jacobus Faber*, Daventriensis; Ita re desperata decreverat se militiæ consecrare *Murmellius*, sed vix ab eo instituto retractus, mittitur ad *Langium* ab *Hegio* literis Hegii ornatus, quod fiebat anno 1498. Ibi & carmine & soluta oratione, etiam lanceam militum more ferens, (ut si ibi iterum eo medio non succederet, totum se reciperet in exercitium militum, adeo ubique ferociebant barbari blateratores) salutat & alloquitur *Langium*, ibi obstupefactus ad promptitudinem juvenis *Murmellii*, vocat eum ad prandium *Langius*, de multis cum ipso commentans, videt singulare ingenium, memoriam præcellentem, & eruditionem non vulgarem in *Murmellio*, quem statim domi aliquandiu fovet, & interea eum *Timanno Camenero*, & reliquis in urbe *Monasteriensi* viris doctis commendat, & interim cum *Bernhardo Gueringio*, jam vicario Majoris Ecclesiæ & initiato Presbytero agit, ut suum locum relinquat *Murmellio*, & is jam se totum sacris & pietati dedat. Sic *Murmellius* fit *Convector* in Schola Cathedrali sub Rectore *Timanno Camenero*. Ibi mox istius celebris Scholæ novæ & celebrium in ea lectorum fama in vicinis increbuit urbibus, ut ex multis civitatibus peterentur à *Langio* docti ludimagistri: Sic *Hammonem* mittit *Ludolphum Heringium*, *Hammonensem*, qui ut erat vir doctus, egregiam in ea urbe Comitatus de *Marcka* aperuit Scholam & ei *Eclogas*, in quibus etiam pulchrè depingitur urbs *Hammonensis*, inscripsit, & duos libros de compositis verborum *Murmellius*: Sic *Petrum Nehemium Drolsbagium* misit *Tre-*



moniam, ut ibi Scholam gubernaret, cui sua Scholia in versilogum Antonii Mancinelli dedicavit idem Murmellius: Et *Hervordiam* in domum fratrum *Jacobum Montanum*, Spirensis, ad privatam institutionem, & ad publicum in eo oppido instituendum ludum literarium mittit *Josephum Horlenium* & *Theodorum Rotarium*: Imo *Tilemannum Mullerum* in patriam urbem *Surlandiae Attendorum* mittit cum honorifico testimonio, ut ibi celebre Gymnasium adornaret: Sic *Ludovicum Bavincum*, jam adveniente Murmellio ad Capitulum in urbe *Saxoniae* misit, ut ibi rem literariam reformaret, sicut paulo ante ad *Affendiam* miserat *Joannem Rotgerum*, ut ibi literas humanitatis restitueret, sed impeditus à barbaris nihil in urbe *Affendia* tentare is potuit; ita regressus Monasterium, fit in domo fratrum primo lector, mox procurator & tandem pater, ita quoque paulo ante mortem mittit *Olinaburgam M. Joannem Alexandrum*, Meppensem. Mox quoque per urbem Monasteriensem passim suasor est collegiis, ut quoque sibi novos ludimagistros asciscerent, ita ex commendatione Langii in Schola *Ludgeriana* agebant Ludimagistros *Joannes Volsius*, Lunensis, *Degenardus Witten*, *Arnoldus Venlo*, & postea *Murmellius*. Ad *S. Martinum Joannes Benroth*, *Andreas Ornotoparcus*, *Joannes Godefridus Remans* & *Henricus Primans*. Ad *S. Mauritium Joannes Grovius*, deinde *Bartholomaeus Coloniensis* & *Joannes Aelius junior*, omnes viri docti. Interea circa annum Domini 1504. ex Schola Coloniensi ejicitur à barbaris Philo-  
 phastris, propterea quod illorum usitatos scriptores *Eberhardum Cornutum*, *Alanum*, *Gemmanum Gemmarum*, *Datum*, *Hollocoth*, *mamecrallians* reprehendisset, *Joannes Casarius*, Juliensis, ideo ad Praeceptorem *Hegium* se confert, & ibi profitetur *Horatium* ac graecas literas aliquandiu, sed cum ibi adhuc agerent celebres Professores *Bartholomaeus Coloniensis*, duo fratres *Aedicollii*, *Jacobus Faber*, *Daventriensis*, eum ad Langium ablegavit *Hegius*, quem Langius domi fovit & auctor est *Timanno Camenero*, ut tandem permetteret successivis horis lectionem Graecae linguae, *Joanni Casario*, viro doctissimo, quod ipsi concedebatur, ibi graece profitentem *Casarium* audiverunt Rector *Timannus*, *Murmellius*, *Hagemannus*, *Peringius*, *Tunicus* & multi alii cum infinita discipulorum multitudine: postea per Coloniensem Praepositum *Comitum Neuwenaarum* revocato *Coloniam Casario*, ita sub *Casario* profecerunt *Joannes Hagemannus*, ut deinde subiret vices *Casarii* & profiteri graecas literas inciperet. Tandem *Hagemannus* editis Scholiisque in *Adul-*  
 riam



riam Plauti, abiit Romam ornatus literis Langii, ubi factus est Bibliothecarius Scholæ Vaticanæ, & ibi est mortuus, & tunc *Peringius* fit lector tertiæ classis, & revocatur *Horlenius* Hervordia, ut præ esset quartæ classis, *Homerus* autem *Buterannus* quintam informabat classem: Tandem discedente *Murmellio* ex Schola Timanni, quæ erat Cathedralis, fit *Peringius* Conrector, & *Horlenius* lector tertiæ classis, *Homerus* *Buterannus* quartæ classis & quinta classis præfuit tunc *Antonius Tunicus*. Jam restat dicendum, quid alii clarissimi & præstantissimi viri de Rodolpho Langio senserint: & hic primus occurrit RODOLPHUS AGRICOLA, Groningensis (cujus pater civis urbis Groningæ vocatus est *Henricus Husman*) Professor Heidelbergensis, qui ita ad nostrum Langium scribit, ut in Tomo secundo operum, in epistolis ad diversos scriptis extat:

Gaudeo, humanissime RODOLPHE, communiumque studiorum nomine plurimum lætor, tum vero gratulor gloriæ tuæ, eamque in primis admiror, ita consentiente ac prope publica omnium voce, tuæ ad me doctrinæ eruditionisque laudes perferuntur: Quocumque me verto, quemcumque doctum convenio, omnia tui plena sunt, omnes tearrant, neque ullus, qui de literatis est, te præterit sermo. Rem facis me hercule ut arduam, ita quoque pulcherrimam, & hac claritate nominis tui dignissimam, qui veterem illam & plane ingenuam eruditionem excitare in hac præsertim barbarie, asserereque audes. Equidem ingenii tui vim, honestissimamque animi institutionem, quibus digne persequar verbis, non invenio. Unum tibi hoc affirmo, (neque velim id à me dici blandius credas) ingentem de te concipio fiduciam, summamque in spem adducor, fore aliquando, ut priscam insolenti Italiæ & propemodum occupatam benedicendi gloriæ extorqueamus, vindicemusque nos & ab ignominia, qua nos barbaros indoctosque & elingues, & si quid est incultius esse jactitant, exolvamus, futuramque tam doctam & literatam Germaniam nostram, ut non latinus vel ipsum sit Latium. Proinde quæso adnitere & cura omni, omnibusque ut ajunt nervis contendito, ut quanto studio hanc tibi gloriæ parasti, tanta etiam constantia eam tueâre atque confirmes. Aude sapere ita, ut facis, & quamvis magnam indoctorum manum aude contemnere. Nihil te multitudo moverit, ipsa plerumque sibi obstat turba, & rarum est, ut inter se consentiant, quibus non convenit cum veritate. Provocandi sunt hostes illi literarum & in faciem coarguendi, næ sic quidem



facile erit, ut in viam redeant, & desipere desistant. Ego quidem  
 quanquam & molliore sum fronte, & propter conscientiam tenuior  
 ingenii minus audeam, inardesco tamen nonnunquam & bilem feruens  
 tuis stomachi quandoque acerbius effundo. Mallem hæc præter  
 tecum agere, & spero, si in patria hanc hyemem manebo temporaria  
 ratio patietur, fore ut te conveniam. Est enim mihi, si quid aliud  
 certe hoc desideratissimum, ut te videam, aliquot dies tecum esse  
 utinam totam ætatem liceret, quod si nunquam licebit, malo id, docere  
 & dignior tuis literis faciam, possimque quanto te animo ante colere  
 cepi, tanta commoditate atque concordia eruditionem & studi-  
 sectari, Vale.

Idem Rodolphus eo ipso tempore, anno Domini 1482. venit Mon-  
 asterium ad Rodolphum Langium, & cum per aliquot dies cum Langio  
 transegisset & familiariter vixisset, de multis cum illo locutus, re-  
 Heidelbergam, & ibi statim huic Rodolpho Langio dedicavit An-  
 thimum Platonis à se conversum.

Audiamus etiam *Joannis Tritememii testimonium de Langio* noster  
 qui sic scribit in Catalogo suo: Rodolphus Langius, natione Teutonice-  
 cus, Monasteriensis Ecclesiæ in Westphalia Canonicus, vir in divinis  
 scripturis studiosus & in secularibus literis eruditissimus, Philosophus,  
 Orator, Poëta celeberrimus, ingenio subtilis & disertus eloquens.  
 Scripsit tam metro quam prosa multa præclara opuscula, quibus nomen  
 suum cum ingenti gloria longe lateque divulgavit. Et mox: Vivit  
 adhuc admodum senex in civitate Monasteriensi, multa componens  
 sub Maximiliano Romanorum Rege, anno quo ista scripsimus 1494.  
 Eodem anno scripsit *Eucharisticum carmen ad Rodolphum Langium*, Hen-  
 mannus Buschius, & vocat ipsum in titulo Theologum, Philosophum  
 Oratorem & Poëtam undecunque ornatissimum, & mox sic scribit:

Si cui nostra pias debet lyra carmine grates,

Si teneor studiis cui dare dona meis.

Tu facis ignavos abeat ne segnis in annos

Vita.

Et mox:

Te duce Musa favet, datur & mihi copia multi

Codicis, &c.

Idem libro primo Epigrammatum suorum scripsit longam Elegiam  
 in præconium Langii, Canonici Monasteriensis doctissimi, de suo  
 somnio, ubi copiosè refert Græcos & Latinos Poëtas Oratoresque  
 quos



quos in Langii Bibliotheca viderit per somnum Romæ, sicque canit  
Poëta inter alia :

Ingenio præstans degit citharaque Rodolphus,  
Contiguas istis obtinet ille domus.  
Hic posset Lybicos cantu mollire Leones,  
Delphinesque sua detinuisse lyra.  
Et stare instabiles modulatu cogeret annos,  
Et Sylvas, montes aëriosque sequi.

Postea describit, quomodo in ædibus Langii per somnum chorum  
Musarum omnesque Deas viderit cum palmis & frondibus ac lauru,  
quasi in suo horto morantes, & quomodo cum ipsis ante aras quiescere  
soleat Langius. Idem *Buschius in secundo libro Epigrammatum* scribit  
Epigramma de servatis Langii ædibus ab incendio divinitus, ideo inter  
alia scribit :

Diis melius, sanctum quod servavere poetam,  
Urgeret tantum ne fera tanta virum.

Idem scribit in eodem libro Elegiam ad ipsum Langium, & inter alia  
hos versus :

Hic tua vena cito properet comptissime Langi,  
Cujus facundo stillat ab ore favus.  
Dum canis, è glauco se Mincius exerit amne  
Uldus, & antiquum Tityron esse putat.  
Smyrna Melesigenem ruptis dulcedine vinclis,  
Jurat ab inferna sede tulisse pedem.  
Orphea saxa novum nemora admirantur & unda,  
Nec canibus metuit proximus esse lupus.  
Nec timida fugiunt aquila veniente volucres,  
Nec lupus infirmam sauciat acer ovem.

Idem in *Præfatione Epicedii* sive carminis sui funebris de obitu *Joan-*  
*nis Murmellii* ad Langium data scribit : Artium bonarum studio adeo  
flagrabat, (*Murmellius*) ut fere neminem, de quo aliqua saltem habere-  
tur eruditionis elegantiorisque literaturæ opinio, aspernaretur præ-  
ceptorem : Te tamen in primis ille veluti Delphicum quoddam oracu-  
lum observabat : te, quoties hæsitabat, consulere, te audire, tibi denique  
tantum tribuere animum induxerat, ut non aliam eorum, quæ abs te  
accepisset, reddendam causam existimaret quam *Pythagoræ* olim  
auditores reddere consuevissent iis, qui eam à se rogassent ; Solum



namque hoc unum respondebant: avtos epha. *Alexander Hegeius*  
 scripsit *Epigramma ad Rodolphum Langium & Hermannum Buschium*,  
 Poëtas Westhalicos, equestris ordinis, & sic de Langio scribit:

Nil est quod fieri nequeat, jam ferre Poëtas,  
 Barbariæ in medio Westhalis ora potest.  
*Langius* hanc decorat majorum sanguine clarus,  
 Monasteriaci lausque decusque soli.  
 Primus Melpomenem, qui jura in Westphala duxit,  
 Cum caneret laudes maxime Paule tuas.

*Joannes Murmellius*, qui cum omnibus Collegis quotidie Langii  
 Bibliotheca utebatur, & ab eo in omnibus artibus & disciplinis eruditus  
 batur, ut unius Langii beneficio & opera in talem tantumque vitam  
 evaderet, is (inquam) scripsit libros *quinque Elegiarum Moralium*, ubi  
 in singulis libris primam Elegiam cujusque libri inscripsit Rodolpho  
 Langio, ut suo præcipuo Patrono & Præceptori colendissimo, ipsius  
 que in omnibus istis donis mirifice propter eruditionem absolutam &  
 præcellentem lectionem, tum propter alias virtutes ut pietatem, munifi-  
 centiam, humanitatem, inprimis propter varia in ipsum Murmellium  
 præstita beneficia, ad cælum usque extollit, & infinitis laudibus cele-  
 brat. Et sic in *dedicatoria Epistola* librorum quatuor *Elegiarum Mora-*  
*lium*, quos anno 1507. Monasterii edidit, *assatur Rodolphum Langium*  
*Murmellius*: Non sum, doctissime vates, ea vel temeritate vel arro-  
 gantia, ut Langium poëticæ facultatis, multarumque literarum facile  
 Principem meis incultis versiculis oblectatum iri, unquam mihi perlua-  
 serim. Et in fine: Idcirco ad te, piorum doctissime & doctorum  
 piissime, mea hæc mitto elegidia, ut pro veteri illa tua in studiosos  
 omnes humanitate, quum forte vacaverit, ad limam ea tanquam alter  
 Quintilianus acerrimo judicio revoces, &c.

Idem elegia prima libro primo *Elegiarum* sic scribit ad Langium:  
*Langi*, Germanæ gloria terræ.

Idem in libro secundo & ejus elegia prima:  
 Nunc te quæso tua, vates clarissime, lima,  
 Corrige judicio non satis apta tuo.

Idem libro 3. *Elegiarum Moralium* Elegia prima:  
 Equiparas doctum lyrici modulamine Flaccum.



Idem libro quarto Elegiarum Moralium, Elegia prima:

Nostra nec odisti rivo de paupere fusa,  
Carmina Pierii gloria summa chori.  
Emeritus senio, summa cum laude Poëta,  
Castalidum templo pleetra lyramque refers.  
Qua novus ingrediar, sed te duce semita constat,  
Ad juga percelsi fers Heliconis opem.

Idem in libro Epigrammatum sic scribit inter alia ad Langium:

Quod verò nodos & senfa recondita vatum  
Dissolvis, longè debeo plura tibi.

Hæc autem omnia scripsit anno Domini 1507. & 1508. Interim ne quis putet hæc auribus Langii data esse à Murmellio, cum Monasterii præfens esset & ibi eadem scriberet, adferemus etiam nonnulla, quæ procul absens & remotus à Langio, Alcmaria in Hollandia absque fuco tribuit nostro Rodolpho Langio. Sic enim scribit anno Domini 1514. in Epistola dedicatoria commentariorum suorum, in Boëtii scripta, ad hunc Langium nostrum: Te omnium, quos novi, disertissimum agnosco. Mox fatetur se à Langio adjutum esse, quod mendas complusculas tum ex prosa oratione, tum ex versibus (Boëtii) sustulerit, adjutum se esse imprimis industria, opera & multijuga eruditione Langii fatetur ingenuè, & super istius laudibus (id quod Salustius de Carthagine ait) potius silentium putat, quàm parum dicendum. Ita similiter scripsit ex Alcmaria urbe Hollandiæ ad præcellentem latinæ linguæ reformatorem Langium, Joannes Murmellius in initio libri 5. Elegiarum Moralium, quem tunc edebat in verba hæc:

Ad illustrem virum Dominum RODOLPHUM LANGIUM,

Canonicum Monasteriensem, veteris Collegii Præpositum,  
de liberalibus studiis Elegia

JOANNIS MURMELLII, Ruremundensis.

Ingenuis Sophiæ studiis, cultissime Langi,  
Corporis & mentis sit tibi vera salus.  
Cum te nobilitent præclaræ stemmata gentis,  
Virtutum superas nobilitate genus.  
Sitve tibi pietas, rerumve peritia major  
Judicio res est non dirimenda meo.

Pri-



Primus ab Hesperia comitatus Apolline Musas,  
 Duxisti in patriam docte Poëta tuam.  
 Orator quondam summi legatus in aula  
 Pontificis magna non sine laude redis.  
 Carmina componis musæo tincta lepore,  
 Nemo tibi latio præstat in eloquio.  
 Symbola Pythagoræ, divi præcepta Platonis,  
 Et Senecam dulci cum Cicerone tenes.  
 Quæque pii vates & Christo digna locuti  
 Conscripsere sacris, sunt tibi nota, libris.  
 Ambrosii calles, & quos Hieronymus acri  
 Condidit eloquio Gregorîique libros.  
 Sunt Augustini tibi pulchra volumina lecta,  
 Quæque dedit Thomas, quæ Cyprianus habet.  
 Argentum, gemmas vulgus miratur & aurum,  
 Exornant populi vala polita domus.  
 Fluxa tibi sordent, & quæ sectantur inertes,  
 Edibus est decori Bibliotheca tuis.  
 Cum tibi sunt ampli reditus, veniantque quotannis  
 Plurima, in abstruso conditur inde nihil.  
 Omnia quæ redeunt pulchrum depromis in usum,  
 Pauperibusque libens fers pietatis opem.  
 Diligis & doctos cum sis doctissimus ipse,  
 Artis idem studium jungit amore vices.  
 Quod tibi sim notus, dederis quod plurima crebra  
 Dona mihi, studiis debeo Pieriis.

Tandem in fine istius Elegiæ, in qua cum prolixissime de utilitate liberalium artium & studiorum differuisset, demum sic concludit:

Ars usu crescit nec sentit damna senectæ,  
 Maturat Sophiæ munera longa dies.  
 Conficerer senio, Langi clarissime, vatum,  
 Et coqueret pectus noxia cura meum:  
 Ut tua discedens istinc jucunda reliqui  
 Colloquia & frugis verba referta bonæ.

Joannes Nehemius, Drolshagius, scripsit Scholia in aliquot Carmina  
 Rodolphi Langii anno Domini 1505. atque in prælatione appellat eum  
 celeberrimum Poëtam, vatem Westphaliæ insignem, gloriam patriæ,  
 homi-



hominem impensè doctum, & in omni facundia præstantissimum. Murmellius anno Domini 1516. in Epigrammatis ad hunc Langium scribit ex Alcmaria:

Cum jam munera missitent amici	Florens canitie, Dei sacerdos,
Certatim memores datorum,	Ne nostro videantur excidisse,
Et de se meritis referre grates,	Quædû spiritus hos movebit artus
Utrumq; studeant, <i>Rodolphe Langi,</i>	Hærebunt animo, in tuum clientè
Illustris genere, eruditione	Abs te munera sæpe colloca-
Ac mentis pietate singulari	ta, &c.

Quamdiu erat *Joannes Murmellius* in urbe Monasteriensi (erat autem ibi ultra annos quatuordecim) ipsum Langium & ejus Bibliothecam quotidie consuluit, & in omnibus dubiis, aut ad ipsum, aut ad Langii Bibliothecam regressum habuit: Item omnes Scholæ laboratores & Ludimagistri nihil in sua classe legebant vel explicabant citra vel extra consilium Rodolphi Langii. Ipse Rector *Timannus Camenerus* quidquid exercitii, lectionum & operum proposuit, id totum unius Langii consilio fecit, ideo & Physica, Dialecticam & alia scripta non prius vel edebat vel prælegebat, nisi Langius noster approbasset & correxisset ea. Et ut in propria oratione dicemus ex illa Timanni Cameneri & Joannis Murmellii schola (in qua etiam *Joannes Hagemannus, Gweringius, Horlenius, Peringius, Buteranus, Bavincus, Tunicus* & alii non sine laude docuerunt) prodierunt multi excellentes doctrina viri tanquam ex equo Trojano, quiper totam prope Germaniam claruerunt. Ipse Langius non solum domi suæ splendidam habuit Bibliothecam, sed etiam auctor fuit omnibus in urbe Monasteriensi hominibus doctis, ut sibi adornarent egregias Bibliothecas. Ideo *Bernhardus Tegederus, Henricus Morlagius* & alii de consilio Langii sibi pecunia non exigua compararunt multos libros: Ideo de *Tegedero* Scholastico Mauritanio sic scribit *Buschius* in Epigrammatis:

Ipse suburbano studiis te rure dicasti,  
Dum passim genium cætera turba colit,  
Compositus latii vel cantas carmen Homeri,  
Immensum versas vel Ciceronis opus.

Et de eodem scribit Murmellius libro 3. Elegiarum Moralium:  
Diffuso latè *Tegederus* nomine floret,  
Inque suburbano carmina rure canit.

M m

Et



Et de *Henrico Morlago* sic scribit idem *Buschius*, & de ejus Bibliotheca, ibidem:

Tu Martini faveas pars una facelli

*Morlago*, libros cui cumulasse juvat.

Item de eodem scribit *Murmellius* ibidem:

Non tantum fulvum curat *Morlagius* aurum,

Quanti doctrinas aestimat atque libros.

Te juvat egregium *Morlago* Bibliothecam

Condere & innumeros explicuisse libros.

Quid multis? Ego scio nihil legisse, nihil tradidisse vel scripsisse *Murmellium* nisi de consilio *Langii* nostri, interim ut hujus rei testimonium adferam, subjiciam *Langii* literas ad *Murmellium* datas.

RODOLPHUS LANGIUS suo JOANNI MURMELLO

salutem plurimam dicit.

In Phalæcio illo Hendecasyllabo *Severini Boëtii* (quem enarrandum auditoribus tuis suscepisti) quisquis composito serenus ævo, Patrum sub pedibus egit superbum, &c. Tu probe, ut versus constet, pro ego dedit supposuisti: In versu autem illo, versum funditus exagitantis æstum. Pro exagitantis, excitandis legendum sentio, alioqui enim nequaquam absque fæda barbarie versus incedit. Ita magnum & doctum virum, qui hætenus in trivio multis in locis membrisque à barbaris est enarratoribus fauciatus, ut sanetur, curemus. Meritus est enim auctor optimus, ut à studiosis & bonarum artium sectatoribus integritati suæ restitatur & incolumis vivat ac legatur. Ex ædificiis meis ocissime, vergente in noctem die, anno 1501. Idibus Julii. Idem eodem anno sic ad eum scripsit noster *Langius*, prout sequitur.

RODOLPHUS LANGIUS, JOANNI MURMELLO

S. P. D.

Subeamus quæso justum sanctumque laborem, mi docte *Joanni* ut *Severinum Boëtium* nostrum, misere convulneratum curemus tandem sanemusque plagas, quas barbara manus indoctorum præceptorum sancto infixit viro. Mirum in hoc Phalæcio ter inclytum virum fœdè laceratum, de altero postea videbimus (nam bis hoc versus generatus est) primum tu doctè emendasti, secundum ego ut curarem vultus studii: Tertium restitutum nunc accipe. Quid tandem



favostyrannos, &c. Non memini in Phalæciis plurimum me etiam occupatum & lectione simul & editione unquam Spondæum pro Trochæo positum invenire. Et mox: Legendum autem & à *Boëtio* scriptum arbitror, non favos sed feros, ut currat versus. Quid tandem miseri feros tyrannos, &c. quum feros non minus truculentia exprimat quum favos, ut apud Maronem, quum sacerdos in convivia Deorum ruit, Jovem ipsum ferum appellet, dicens: feros omnia Jupiter Argo transtulit. Hæc mi Joannes, tumultuario ad te scripta perhumanè legas precor, & ab ambitiosissimis ad me scribens & verbis & sententiis oro abstine. Non sum is, qui tanta mihi arrogare velim. Pessimus est enim, ut meus ait Hieronymus, Præceptor præsumptio. Scio te præstantissimum hominem non assentandi mihi animo hæc scribere, sed amore lapsum, cæcutiente valde rerum judice. Vale, ex meis ædibus, decimo septimo Calendas Augusti, anno 1501. concitatisime post cenam.

Ita sæpè, imo penè quotidie ad Langium nostrum vel scripsit vel se contulit Murmellius, ut eum consuleret, cum eo conferret, ejus consilium expeteret, nunc in illo scriptore, nunc in isto Poëta rectè explicando operam Langii expetiit, & omnibus libris & adeo tota Langii Bibliotheca usus est Murmellius, & cæteri ejus collegæ quotidie utebantur ea: Unum Langium & audiebat & sequebatur in omnibus studiorum progressibus ac in disciplinis tradendis per totos illos 14. annos continuos, dum Monasterii hæsit, ut quicquid habeat eruditionis & judicii Murmellius, hoc primò Hegio, deinde Langio acceptum velit. Quicquid commentariorum in *Satyras Persii*, in libros *Boëtii*, in *Versilogum Mancinelli*, in *Prudentium*, in *Rusticum Politiani* scripsit, & quicquid carminum evulgavit Murmellius, hoc aut à Langio proficiscebatur, vel ipsius censuram subibat: ita auspicio & per limam Langii prodierunt *Elogæ*, composita verborum, *Elegiæ* morales, *Epigrammata*, *Tabulæ Grammatices* & de componendis versibus: Item quæ *Hermannus Buschius* in *Donati* partes orationis, in *Plantum*, in *Silium Italicum*, in *Virgilium*, in *Martialem*, in *Claudianum* & in *Juvenalem* commentaria dedit, illa aut à Langio sunt profecta, aut ejus limam subierunt, quia isti duo viri, ut *Murmellius* & *Buschius* plane ab ore Langii pendebant: Quicquid deinde *Peringius*, *Horlenius*, *Tunicus* & alii in publicum emittebant, hoc prius corrigendum Langio offerebatur. In restituendo *Plinio* etiam *Joannes Casarius* Juliensis cum



coram tum per literas consuluit nostrum Rodolphum Langium, quem etiam in literis aliquoties ad Murmellium datis, vocat egregium virum & dignissimum studiorum suorum Patronum non tam natalibus clarum & generosum, quam doctrinis virtutibusque insignem & magnum virum.

Langius coelibem & castam atque sobriam duxit vitam, & inter ceteros labores, quotidie etiam senex surrexit hora tertia matutina, legeret horas Canonicas, & quia erat initiatus sacerdos, pro more illorum temporum, sacrificabat saepe, ut memoriam passionis Christi per unum Sacramenti sibi applicaret, quia in unicum Christum ponebat fiduciam, sicut in oratione de *Hermanno Buschio* ostendimus. *Hic* vir praestans & admodum decrepitus senex legit paulo ante mortem Propositiones Latinas & lectis iis dixit: Jam tempus instat, ut tenebrae ex Ecclesiis & Scholis extirpentur, & redeat puritas in Ecclesias, & mundities Latini sermonis in Scholas. In qua re fuit magnus ille vir verus vates. Mortuus *Monasterii* anno Domini 1519. major octogenario: & in Capitulo *Monasterii* non fuit doctior Langio antea, & post illum interea nonnullum quispiam eruditior est inventus: fuit homo pius, erga studiosos & doctos munificus, in pauperes liberalis, erga omnes affabilis.

Sit igitur istius viri nobilis & primi linguae Latinae reformatoris in Westphalia Rodolphi Langii memoria apud posteros grata, & populares nostri Westphali, in primis Nobiles in Westphalia & in vicinis locis, hujus doctrina & virtute ad imitationem excitentur.

*Paulus Eberus, Beutherus & Carion* atque alii censent, primum Germaniae Poetam fuisse *Conradum Celten* Francum, & in ea excitasse Poeticae studium, sed falluntur isti, postquam & Langius & Rodolphus Agricola & Alexander Hegius eruditissima scripserunt carmina, ante *Celten* quos *Trithemius* etiam celebres Poetas appellat, & *Celten* vivere sub Maximiliano ait aetatis suae 35. &c. Quando de Langio scriberet ante Domini 1494. quod esset admodum senex, & *Murmellius* emeritum senio virum ac Poetam appellat Langium anno 1507. Et idem cum enumerat Poetas neotericos lib. 3. Elegiarum moralium Epistola primas *Mantuanus*, secundas *Agricola*, tertias *Politianus*, quartas *Langius*, quintas *Hermannus Buschio* tribuit partes, & non recenset quidem inter Poetas *Celten* quod fiebat anno Domini 1507. quando anno sequenti moreretur *Conradus Celtes*: Sed praedicti in honorem patriae ut Franci homini Franco voluerunt gratificari. FINIS.